
APPENDIX.

DE SYSTEMATE FIXARUM,
SIVE PLURALITATE MUNDORUM.

504 Cogitanti cuilibet postquam numerum penè infinitum siderum à nostris oculis subtrahi, certo cognoverit, statim occurrit interna quædam interrogatio, ne dicam dubium: cui bono tot soles in universo ardent, si neque nos interdiu calore foveant, neque noctu illustrant splendore, velut reliqua astra pulchrum noctis spectaculum terræ incolis exhibentia? Si plures ex antiquis philosophis consulas, Pythagoreos præsertim, Anaxagoram, Democritum, Xenophanem, Metrodorum, testibus Plutarcho et Tullio, innumeros audies globos præter nostrum habitari, in quibus aliæ creaturæ collocatæ vivant, oriantur, intereant; easdemque vices suo modo subeant, quæ earundem naturæ conformes sint. Cardinalis Cusanus Pythagoreorum systema è ruinis, quibus sepultus jacebat, eruens, antiquum etiam de planeticulis opinamentum excitavit; cumque eo postea copernicani ad unum omnes fixas tot esse soles planetis stipatos existimant, in quibus, quemadmodum in systemate nostro planetario, innumeræ creaturæ "enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum:

astra videlicet matutina Deum laudantia, in quibus jubilant omnes filii Dei."

505 "Portenta videantur! sed tamen neque illi qui dicunt, jurare possunt ita se rem habere, neque ego. Verum ista cum Tullio non aspernor: neque quum audio, desipere eos arbitror, qui ista pronunciant. An quidquam tam puerile dici potest, quàm si ea genera belluarum, quæ in rubro mari Indiave gignantur, nulla esse dicamus? Atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quàm sunt multa, quæ terra, mari, paludibus, fluminibus existunt. Quæ negemus esse quia numquam vidimus." Et quidem si europeis mundum novum, antiquo ferè parem, oppidis, urbibus, imperiis, barbaris etiam gentibus, aliis alio more viventibus, ante Columbum quis existere affirmasset, desipere eum incunctanter plerique decrevissent: ut esse è regione nobis à contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, tum temporis velut somnium traducebatur. Tollamus ergo omnia, quæ aut historia nobis, aut ratio nova affert. Ita sit, ut mediterranei mare esse non credant. Quæ sunt tantæ animi angustiae ut si Seriphi natus esses, nec unquam egressus ex insula; in qua lepusculos, et vulpeculas sæpè vidisses, non crederes leones, et pantheras esse, quum tibi quales essent diceretur: si verò de elephante quis diceret, etiam rideri te putares.

506 His rationibus adductus, cum Orlando, Juvenensi Episcopo (in notis ad Musch.

phys. tom. 2.) inverissimile non judico, stellas fixas totidem esse soles nostro similes et immensis intervallis ad invicem dissitos. "Quamobrem Divinæ sapientiæ minime congruum videretur; si innumera lucentia corpora solitariè condita, nullaque juxta posita fuissent corpora, quæ horum luce et calore foverentur; nihil enim frustra et inutiliter à Deo creatum affirmari potest. Verisimile idcirco videtur singulas stellas instar nostri solis, suo quoque planetarum comitatu cingi, totidemque systemata dari solari nostro similia, quot sunt in cœlo fixæ, quarum quævis idem in suo systemate munus obeat, quod in solari nostro sol. Hac certè ratione quàm admirabilis, et magnifica hinc nobis datur amplitudinis mundanæ idea! fitque mundus altissimum Divinæ sapientiæ, omnipotentæ, bonitatis, et gloriæ infinitæ theatrum; præsertim si spectaverimus singulos planetas telluris instar, viventium et rationalium creaturarum, quod valde et verisimile, sedem esse et habitaculum."

De planetis sanè nostrum solare systema componentibus, id vix dubitari posse videtur, si telluris nostræ, et ceterorum planetarum similitudinem, et analogiam animo revolvamus. In naturalium quippè rerum inquisitione plurimi jure faciunt philosophi id argumentum, quod ex analogiis et similitudinibus deducitur. Et quidem si disecti canis viscera, cor, pulmones, ceterasque partes inspiciamus, vix dubitabimus consimilem partium structuram, et varietatem in bove, porco, ceterisque brutis

inesse. Simili ratione ex tellure planetarum uno, quem coram aspiciamus, de reliquis, quos nunquam vidimus, conjecturam facimus: non enim major inter ea animalia bruta intercedit similitudo, quàm nostram tellurem inter, et cetera planetarum corpora; sive inter se mutuo, sive relatè ad solem systematis centrum spectentur. Quod verò ad planetas attinet reliquarum fixarum systemata componentes, ex eorundem systematum cum nostro hoc solari analogia, eandem quoque illorum ad nostrorum planetarum rationem esse dubitare vix possumus: nec quidem alteri usui tam innumera et ingentia systemata condita esse intelligimus, præter eum, ut viventium, et rationalium creaturarum sedes innumeræ constituerent: ex quo Dei O. M. sapientia, bonitas, omnipotentia, ceteraque attributa majorèm nanciscuntur lucem et gloriam. Ceterum planetarum incolas jam agnovere veteres, et Metrodorus apud Plutarchum affirmat, haud minus absurdum esse infinito spatio mundum unicum collocare, quàm in amplissimo campo unicam solummodo spicam nasci, affirmare. Eandem sententiam propugnat cardinalis Cusanus, vir gravis, et doctus, quam deinde Neoterici ferè omnes adoptarunt, et in primis R. P. Castellus è Soc. Jesu." Verba sunt Orlandi.

507 Verum ab his Neotericis dissentit Altierus è franciscanorum familia, quos conventuales vocant, suffragante novissimo Luddenæ. Ex quibus primus sic proponit. "Planeticularum existentia, neque à catholico viro,

neque à cordato philosopho videtur admittenda. Papæ! probatur prima pars propositionis: vel planeticolæ sunt homines rationis compotes; vel sunt viventia aliqua ignotæ speciei: secundum perridiculum est: quicumque enim divinum Genesis librum legerit, evidentissimè hominem solum esse illud opus præstantissimum, in cuius commodum Deus cælum, terram, et astra creavit, sciet: cuiam autem utilitati forent hominibus viventia ratione destituta in planetis degentia, si ibi nulli viverent homines, nulla habitarent animantia ratione prædita? Necesse est igitur planeticolæ sint homines ejusdem speciei cum terricolis, licet diversæ proceritatis, Wolfii visum fuit. At si homines planetas incolunt, vel ex Adamo in terra progeniti ad astra volarunt, vel in astris ab alio protoparente descendentes geniti sunt: primum manifestam fabulam sapit, nec confutari meretur: alterum verò clarissimis opponitur Sacræ Scripturæ oraculis, in quibus legimus primi hominis creationem, undè humanum genus originem duxit. Deinde hi planeticolæ ab Adamo minimè progeniti, in eodem minimè peccassent: ergo neque à Christo fuissent vivificati, qui ideirco pro omnibus mortem non optiisset, contra ac D. Scrip. duce clamant theologo universi. Tandem sol, luna, et omnia astra cœli creata fuisse in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt, scribit Moyses. Qui ergo censent ea condita fuisse velut aliorum hominum sedes, Scripturis sacris opponuntur." Elem. phys. par. 1, artic. 365.

508 Paucis collegit laudatus Auctor omnia quæ contra planeticularum existentiam à Ludenna aliisque referuntur; ob idque illius verba transcripsi. Allegrium tamen miror Tom. 3. Theol. lib. 5, prop. 5. hujusmodi opinionem veluti delirium philosophorum traducentem, quum mihi quondam secum de hoc argumento confabulanti Bononiæ, ut sæpè solebam, hominis doctrina, ac ejus in me benevolentia allectus, non solum multis planeticularum existentiam propugnaverit, verum hac etiam similitudine usum fuisse recorder: "dum mundum solos nos incolere credimus, perinde facimus, ac si formica, quæ per hoc palatium repit (contra nos erat palatium rurale cujusdam nobilis Bononiensis), cum aliis formicis Æsopi more locuta, palatium sibi solis fabricatum esse gloriaretur." Verum ad Altierum redeo, ac ut rem brevi expediam, brevissimam Paræ responsionem exscribo. "Cum sacris litteris profectò sentit, qui rerum universitatem credat ad terræ pulchritudinem, et ad hominis bonum conferre: at qui rerum universitatem ad hominem unice et ad tellurem referri velit, hic Dei sapientiam, et potentiam circumscribit, et S. litteras perperam interpretatur." Et alibi: "Frustrà philosophicæ huic conjecturæ religio objicietur; nihil de his incolis, neque contra ipsos religio docet. Si cometæ et planetæ incolas habent *entia intelligentia*, aliqua ratione nobis similia, Deus providus, sapiens, et semper sibi concors rerum ordinem illis decrevit ad suum finem consequendum opportunum, si-

ve nostro similem, sive diversum (*intellige secundarium.*) Quod ad Messiam omnis gratiæ et meriti fontem spectat, vel illi incolæ non indiguerunt, vel ea ratione, qua divini sapien- tiæ placuit, ejus merita illis quoque applicata fuerunt." Phys. tom. 4, artic. 1161 et 1207.

509 Fatendum tamen nimis pressè quos- dam auctores terricolarum vestigia legere, om- niaque nostra adamussim planeticolis applica- re; perindè quasi homines forent statura tan- tum, ac temperie corporis nobis dissimilis. Hu- genius certè hæc minutatim persequitur, ut si inter *antediluvianos* et nos comparationem ins- titueret: ac Wolfius statura saturnicolas satis procera esse arbitratur, quasi de *Patagonibus* sermo haberetur. Ego quidem sic existimo, lon- gè aliam rerum seriem, aliumve tenorem esse in planeticolis, quem nos nec divinando asse- qui possumus. Quid? nonne in parvo nostro domicilio innumera quotidie arcana naturæ, quæ nec somniantibus quidem nobis occurrerent, revelantur? quis unquam cogitando assequi po- tuit, polypos quosdam per sui corpusculi di- visionem propagari? aut esse viventia, quæ va- ginæ pulposæ aut sacci instar apparent, omni- penè motu spontaneo destituta? Lumbricos sectione corporis in frustra non perire, sed multiplicari, comperit Reaumurius; quod etiam de polypis postea innotuit: ac innumera alia Bonettus et Spalanzanus invenerunt, et quoti- diè plurima naturæ indagatoribus occurrunt, portento magis quàm vero similia. I nunc, et divinam fœcunditatem globulo nostro conclude-

510 His adde plurima ex illis, quæ cap- tum nostrum prorsùs superant, ac veluti absur- da tenui nostro concipiendi modo videntur, ab hac mansionum diversitate posse pendere. Bru- torum animæ, magnum naturæ secretum, quas corpore pereunte nusquam collocare potuerunt, qui eas immateriales, aut etiam spirituales existimant, amplum quidem spatium, ubi post corporis resolutionem vagentur, inveniunt. Ad alia singillatim descenderem, nisi tum me te- nerent temporis angustia ac proposita brevitatis, tum vererer, ne quædam delicatiora œcono- miæ mundanæ puncta quosdam offendant, quos etiam hactenus dicta graviter laturos, non levi fundamento pertimesco. Verum quisque phi- losophando conjecturas suas extendere potest ad plura, quæ etiamsi minimè affirmare tam- quam certa possimus, à similitudine veri non prorsùs abhorrent. Quæ tamen omnia ita dicta sint sine præjudicio auctoritatis Ecclesiæ, cu- jus censuræ et hactenus disputata, et reliqua in toto opere contenta, libentissimè subjicimus.

CAPUT QUINTUM.

DE SOLE.

§. I.

De solis natura, ac phenom:nis.

511 Nulli dubium est solem corpus esse lucidum atque igneum, cujus luce illustremur,